



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij  
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones  
Lectissimorum Casuum**

**Diana, Antonino**

**Antverpiæ, 1645**

Odium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41753**

Religiosus non obediens Prælato præcipienti sub obedientiâ, non peccat dupliciter contra obedientiam, & Religionem: quia est vna tantùm malitia. Ledesm. p. 1. tract. 7. ref. 16. & p. 3. tract. 4. ref. 67.

## Odium.

**A**llocutio, & conuersatio non debentur omnibus, sed tantùm inter se coniunctis. Salutatio anticipata nulli debetur, nisi iis qui dignitate præcellunt: Resalutatio, & responsio omnibus debentur ex virtute affabilitatis, præsertim concubus: illas autem omittere non est regulariter p. m. nisi ratione scandali; vnde inferitur non esse certum, peccare mortaliter eum qui occurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, salutatur ipso excepto, quia potest illum prætermittere in significationem acceptæ iniuriæ; non tamen in odium, aut vindictam. Lorca. p. 2. tr. 15. ref. 62.

**2** Optare alicui mortem, vt eius hæreditate potiari, non est mortale, neque odium: idemque est si quis de illâ gaudeat. Castro Pal. Vel etiam si quis sibi mortem optet vt liberetur à grati malo temporali. Sanchez & alij 2.

p. 3. tr. 5. ref. 84. & p. 5. tract. 14. ref. 92.

3. Vulneratus ab altero, vel offensus non potest absolui, nisi odium, & rancorem remittat, & signa eius externa, nō tamē tenetur actionē iniuriarū remittere. Villalob. & alij. p. 5. tr. 3. ref. 103.

## Officium.

1. Officia sæcularia ex naturā rei vendi possunt, cum his tamen circumstantiis. 1. vt vendantur saltem dignis. 2. vt pretio moderato. 3. vt id fiat ob Reipubl. necessitatem, vel utilitatem. Lessius & alij 10. p. 3. tr. 5. ref. 108. Sed hoc soli Principi supremo licet, non autem substitutis, vt Proregibus. p. 6. tr. 6. ref. 3.

2. Qui habet licentiam à Rege transferendi officium in alium, potest cum expressā, vel tacitā eiusdem Regis licentia illud vendere. (La Cruz.) Qui tamen sine licentia venderet, non teneretur ad restitutionem pretij, modò habuerit licentiam illud transferendi. Ledesm. & Sotus. p. 3. tr. 5. ref. 109.

3. Qui conuocantur ad electionem Magistratum, & Officialium alicuius Reipubl. debent antē omnia præstare iuramentum de bona electione facienda, quod,